

sie dicit : « Non propter majoritatem culpa ipsius venialis, peccatum veniale conjunctum mortali diutius punitur; sed propter indeabilitatem, que provenit ex adjuneto. » — Hæc ille. — Similia dicit, 1^a 2^o, q. 87, art. 5, in solutione secundi et tertii. Dicit enim sie : « Peccato originali non debetur pena aeterna ratione suæ gravitatis, sed ratione conditionis subjecti, scilicet hominis qui sine gratia invenitur, per quam solam fit remissio poenæ. — Et similiter dicendum est ad tertium, de veniali peccato. Aeternitas enim poenæ non respondet quantitatibi culpa, sed irremissibilitati illius, ut dictum est (1^a 2^o, q. 87, art. 3). » — Hæc ille. — Ex quibus patet ad secundam partem argumenti.

Ad argumentum contra questionem (z), patet responsio per dicta in probatione primæ conclusionis. Potest etiam dici quod post hanc vitam est actus contritionis; qui tamen non est meritorius, sed tantum remotivus impedimenti beatitudinis. Unde sanctus Thomas, *de Malo*, ubi supra (q. 7), art. 11, in solutione secundi, sic dicit : « In futura vita non erit aliqua essentialis mutatio voluntatis, scilicet quantum ad finem, vel quantum ad charitatem vel gratiam. Potest tamen esse aliqua accidentalis mutatio voluntatis, per remotionem impedimenti : nam removens prohibens, est movens per accidens, ut dicitur in 8. *Physicorum* (t. c. 32). » — Hæc ille. — Et ad idem potest referri illud quod dicit, 4. *Sentent.*, dist. 17, q. 2, art. 4, in solutione tertiae questiunculae, ubi sic dicit : « In contritione tria consideranda sunt. Primum est contritionis genus, quod est dolor. Secundum est contritionis forma, quia est actus virtutis gratia informatus. Tertium est contritionis efficacia, quia est meritorius, et sacramentalis, et quodam modo satisfactorius. Animæ ergo post hanc vitam, que in patria sunt, contritionem habere non possunt; quia carent dolore, propter gaudii plenitudinem. Illæ vero que sunt in inferno, carent contritione; quia, etsi dolorem habeant, deficit tamen eis gratia dolorem informant. Sed illæ que sunt in purgatorio, habent dolorem de peccatis gratia informatum, sed non meritorium, quia non sunt in statu merendi. In hac autem vita, omnia tria predicta inveniri possunt. » — Hæc ille. — Ibidem etiam dicit, in solutione secundi, quod « animæ in purgatorio dolent de peccatis; sed ille dolor non est contrito, quia deest ei contritionis efficacia. » Item, in solutione tertii, dicit quod « pena illa quam anime sustinent in purgatorio, non potest proprio diei satisfactio, quia satisfactio opus meritoriorum requirit; sed largo modo dicitur satisfactio penae (6) debite solutio. » — Hæc ille. — Ex quibus appareat quod ipse videtur sensisse quod in purgatorio non est contrito univoce

dicta cum ea quoque est in hoc speculo, nec satisfactio, nec meritum univoce ut hic. Potest ergo dici breviter, quod ad deletionem venialis in purgatorio sufficit actus charitatis in Deum, detestativus peccatorum venialium in haec vita commissorum, siue talis actus dicatur proprie et univoce contritio, sive non, sive sit meritorius, sive non.

Et hæc de quæstione sufficient. De qua benedictus Deus. Amen.

QUÆSTIO II.

UTRUM IN QUOLIBET CASU TENEATUR SACERDOS CELARE PECCATA QUÆ SUB SIGILLO CONFESSIONIS NOVIT

SUXTA eamdem distinctionem iterum queritur : Utrum in quolibet casu teneatur sacerdos celare peccata quæ sub sigillo confessionis novit.

Et arguitur quod non. Quia magis debet homo servare conscientiam suam quam famam alterius; quia charitas ordinata est. Sed aliquando aliquis peccatum celans, incurrit proprie conscientiae detrimentum; sicut cum in testimonium adducitur pro peccato illo, et cogitur jurare de veritate dicenda. Ergo videtur quod in aliquo casu liceat confessio n publicare.

In oppositum arguitur. Quia dicit decretalis, *de Penitentiis et remissionibus* (cap. 12) : *Caveat sacerdos ne verbo, vel signo, vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem.*

In hac quæstione erunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objections. In tertio, solutiones.

ARTICULUS I. PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

Prima conclusio : Quod sacerdos debet celare peccata sibi confessa.

Hanc ponit sanctus Thomas, praesenti distinctione, q. 3, art. 4, q^a 4. Quam probat sic : « In sacramentis ea que exterius aguntur, sunt signa rerum que interioris contingunt. Et ideo confessio, quia quia sacerdoti se subjicit, signum est interioris quia quis Deo subjicitur. Deus autem peccatum illius qui se ei subjicit per penitentiam legit. Unde

(z) *questionem, conclusionem* Pr.

(6) *penæ, penitentia* Pr.

et hoc oportet in sacramento penitentiae significari. Et ideo de necessitate sacramenti est quod quis confessionem celet; et tanquam violator sacramenti peccat qui revelat. Et, preter hoc, sunt aliae utilitates hujus celationis: quia per hoc homines ad confessionem magis attrahuntur, et simplicius peccata confitentur. » — Hæc ille.

Ex quibus potest formari talis ratio pro conclusione: Quicumque minister sacramenti agit exterius directe contra ea quæ significantur interius in sacramento, peccat. Sed revelans peccata quæ per solam confessionem novit, est hujusmodi. Ergo, etc.

Secunda conclusio est quod sacerdos debet celare non solum peccata confitentis, verum etiam alia in confessione sibi dicta, per quæ peccata confitentis possent deprehendi.

Hanc ponit sanctus Thomas, ubi supra (dist. 21, q. 3, art. 1), in solutione secundie questiunculae, ubi sic dicit: « Sigillum confessionis directe non se extendit nisi ad illa quæ cadunt sub sacramentali confessione. Sed indirecte illud quod non cadit sub sacramentali confessione, etiam ad sigillum confessionis pertinet, sicut illa per quæ posset peccator vel peccatum deprehendi. Nihilominus illa et alia summo studio sunt celanda: tum propter scandalum; tum propter promitatem quæ ex consuetudine accidere posset. » — Hæc ille.

Ex quibus sic potest argui: Sacerdos tenetur celare omnia dicta confitentis, que aliquo modo, primo vel secundo, directe vel indirecte, ad sigillum confessionis pertinent; cum hujusmodi sigillum non sit aliud quam debitum celandi confessionem. Sed ad tale sigillum pertinent non solum peccata confessa, sed etiam multa alia. Ergo conclusio vera.

Tertia conclusio est quod sacerdos propter nullum præceptum Ecclesiæ vel prælati debet revelare confessionem.

Hanc ponit sanctus Thomas, ubi supra (dist. 21, q. 3, art. 1), in solutione secundi primæ questiunculae. Ibidem enim arguit sic: « Id ad quod quis obligatur tantum ex præcepto Ecclesiæ, non est necesse observari, mandato Ecclesiæ in contrarium facto. Sed celatio introducta est ex statuto Ecclesiæ tantum. Ergo, si per Ecclesiam præcipiatur quod quicunque seit aliquid de tali peccato, dicat, ille qui seit per confessionem, debet dicere. » Ecco argumentum. Sequitur responso: « Dicendum, inquit, quod sicut præceptum de confessione sacramentali facienda est de jure divino, et non potest aliqua dispensatione vel iussione humana homo ab eo absolviri; ita nullus potest ad revelationem confessionis ab homine cogi vel licentiariri. Unde, si præcipiatur sub pena excommunicationis jam latet,

quod dicat si seit aliquid de peccato, non debet dicere; quia debet aestimare quod intentio præcientis est, si seit ut homo. Si etiam exprimeretur de confessione interrogatus, non debet dicere. Nec excommunicationem incurreret: quia non est subjectus suo superiori nisi ut homo; hoc autem nescit ut homo, sed ut Deus. » — Hæc ille.

Ex quibus potest sic argui pro conclusione: Contra ea quæ sunt de jure divino, non potest cogere humana iussio, nec ad oppositum licentiat. Sed celatio confessionis est de jure divino. Ergo, etc.

Quarta conclusio est quod sacerdos de voluntate confitentis potest revelare peccatum sibi confessum.

Hanc ponit sanctus Thomas, ubi supra (dist. 21, q. 3), art. 2, ubi sic dicit: « Duo sunt propter quæ sacerdos tenetur peccatum occultare. Primo et principaliter, quia ipsa occultatio est de essentia sacramenti, inquantum seit illud ut Deus, cuius vicem gerit ad confessionem. Alio modo, propter scandalum vitandum. Potest autem ponitens facere ut illud quod sacerdos sciebat ut Deus, sciat etiam ut homo; quod facit dum licenciat eum ad dicendum; et ideo si dicat (z), non frangit sigillum confessionis. Tamen debet cavere scandalum dicendo, ne fractior predicti sigilli reputetur. » — Hæc ille.

Ex quibus potest sic argui: Cessante causa, cessat effectus. Sed confitens dans licentiam sacerdoti revealandi suam confessionem, tollit causam celationis. Ergo et effectum.

Et in hoc primus articulus terminatur.

ARTICULUS II.

PONUUNTUR OBJECTIONES

§ I. — CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

Argumenta Durandi. — Quantum ad secundum articulum, arguendum est contra conclusiones. Et quidem contra primam conclusionem; vel ejus probationes, arguit sic Durandus (dist. 21, q. 4), dicens:

Primo (z), quod ratio ad conclusionem adducta non valet. Quamvis enim illud quod agitur interiorius per Christum, representetur exteriorius per ministrum factis et verbis, vel altero eorum, quantum ad principalem effectum sacramenti; non tamen oportet quod omnes circumstantiae represententur. Verbi gratia: minister baptizans, facto suo, quo lavat exterius, et verbo suo quod dicit, *Ego te baptizo*, etc., representat ablutionem spiritualem a peccatis, quam

(z) dicat. — dicitur Pr.

(b) Primo. — Om. Pr.

Christus facit interius; et hoc est effectus principalis baptismi. Et consimiliter est in confirmatione, ordine, extrema unctione. Et eodem modo est in confessione: quia principalis effectus quem Deus facit interius, est remissio peccatorum; et istud representatur exterius per ministrum, cum dicit, *Absolvo te*, etc. Celare autem peccata confessa non est effectus sacramenti, sed obligatio ministri. De qua queritur: unde veniat? Nec appareat quod veniat ex hoc ipso quod illud quod interius agitur a Christo, debet representari per illud quod geritur exterius a ministris. Hoc enim intelligitur de effectu sacramenti: sic enim, et non aliter, intelligitur quod sacramenta efficiunt quod significant.

Secundo. Quia queritur: qualiter intelligitur quod Christus celat peccata confitentium? Aut enim hoc intelligitur pro praesenti seculo, vel pro futuro. Non pro praesenti: quia sic Christus aequaliter celat peccata non confessa, sicut confessa; non enim revelat ista, vel illa. Si autem intelligitur pro futuro, non appareat qualiter sit verum: quia licet sacramenta significant illud quod praesimaliter efficitur, nisi recipiens sit indispositus; tamen quod significant illud quod in futuro saeculo agitur, nullus unquam dixit.

Tertio. Quia in futuro saeculo non celabuntur peccata confessa, neque inconfessa; sed omnia erunt omnibus manifesta, virtute divina. Propter quod ex isto latere non appareat quod sacerdos debeat celare peccata sibi confessa.

§ 2. — CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

Argumenta quorundam. — Contra secundam conclusionem potest argui (2). Quia, si circumstantiae peccatorum confessorum essent celandae, sicut et peccata confessa, tunc videretur quod tertia persona, cum qua confitens confitetur se peccasse, caderet sub sigillo, cum sit circumstantia peccati, et aliquid faciens ad necessitatem vel bonitatem confessionis in casu. Sed hoc consequens est falsum, propter multa.

Primo. Quia tertia persona non est peccatum, neque circumstantia peccati. Sed nihil aliud cadit sub sigillo confessionis, nisi peccatum, vel ejus circumstantia. Ergo, etc.

Secundo. Quia nihil cadit sub sigillo confessionis, nisi illud per quod confitens posset prodi. Sed quandoque confessor posset loqui de peccatis illius tertiae personae, absque proditione confitentis. Ergo, etc.

Tertio. Quia hora, tempus et locus nihil faciunt ad expressionem peccati; ideo non cadunt sub sigillo confessionis. Ergo, a simili, nec tertia persona.

(2) Argumenta hujus paragraphi et sequentis Auctor refert prout reperiuntur apud Petrum de Palude, dist. 21, q. 3.

Quarto. Quia ratio quare tenetur confessionem celare, est quia presumitur quod Deus celet remittendo. Sed non sic presumitur de peccato tertiae personae prodito. Ergo, etc.

Quinto. Quia nihil cadit sub sigillo confessionis, quod non spectat ad judicium illius fori. Sed tertia persona non est hujusmodi. Ergo, etc.

Sexto. Quia genus peccati est magis intimum rei quam circumstantia. Sed genus peccati non cadit sub sigillo: quia licet est confessori dicere, *Talis persona confessa est mihi de omnibus peccatis suis*. Ergo multo minus circumstantia tertiae personae.

Septimo. Quia confessor potest loqui de peccatis confitentis, non referendo ad ipsum. Ergo multo magis de peccatis non confitentis.

Octavo. Quia, si sic, tunc sigillum confessionis esset in prejudicium observantiae divinæ; quia tunc non posset corrigi tertia persona accusata in confessione.

§ 3. — CONTRA TERTIAM CONCLUSIONEM

Argumenta quorundam. — Contra tertiam conclusionem arguitur.

Primo (2). Quia ratio pro illa conclusione potissima esse videtur ista: quod Ecclesia non potest mutare illa quæ pertinent ad veritatem articulorum et sacramentorum, cum prelati Ecclesie non sint domini, sed ministri, non fundatores, sed executores; sed ad celationem confessionis tenetur minister ex natura sacramenti; ergo in hoc non potest per aliquem dispensari. — Sed ista ratio videtur deficere in minori. Quia, licet ex natura sacramenti confessionis et absolutionis teneatur pœnitens ad faciendum pœnitentiam sibi injunctam, tamen Papa potest cum eo dispensare, ut non teneatur eam facere; nec propter hoc dicitur veritatem sacramenti mutare.

Secondo. Quia ex natura sacramenti sacerdotii tenetur sacerdos celebrare; potest tamen Papa cum eo dispensare licite, ut non celebret.

Tertio. Quia ratio per sanctum Thomam adducta, videtur non valere. Cum enim dicit quod occultatio est de natura sacramenti, — hoc non videtur valere: quia illa occultatio non pertinet ad formam nec ad materiam sacramenti. Similiter, sine tali occultatione remaneret perfectum et integrum sacramentum. Ergo videtur quod super hoc Papa posset dispensare.

§ 4. — CONTRA QUARTAM CONCLUSIONEM

I. Argumenta Durandi. — Contra quartam conclusionem arguitur per Durandum (dist. 21, q. 4).

(2) *Primo.* — Om. Pr.

Primo. Quia, si licentia consitentis non sufficit ad dicendum id quod auditum est in confessione, nisi habeatur nova notitia, tunc non sufficiunt verba per quæ non habetur de peccato nova notitia, sed solum de præcedente notitia datur licentia. Sed per haec verba, *Licentio te ad dicendum illud quod a me in confessione audisti*, non datur aliqua nova notitia (alioquin omnis audiens haec verba, acciperet notitiam de peccato dicto in confessione); sed solum datur licentia, quia nec plus verba sonant. Ergo per illam nunquam est licitum sacerdoti dicere quod audivit in confessione.

Secundo. Quia, si talis licentia sufficeret, esset via ad revelationem confessionum et suspicionem criminum. Quia judex habens aliquem suspectum de aliquo crimine, poterit ei dicere: *Dā sacerdoti licentiam dicendi quod audivit de te.* Si dat licentiam, et data valeat, habebit testimonium contra se. Si non dat, et dare possit (ut ponit tua opinio), merito habebitur amplius suspectus. Et ita non erit usquequa secretum quod dictum erat in confessione; cum oporteat vel talem licentiam dare ad revelationem confessionis, vel incurrire notam gravis suspicionis. Melius est ergo ut dicatur quod talis licentia, nec verba quæ sonant talem licentiam, sufficiunt; sed oportet quod pœnitens dicat sacerdoti extra confessionem, in generali, vel in speciali, peccatum quod vult alteri revelari.

II. Argumenta aliorum: — Ad idem arguitur ab aliis (z).

Primo. Quia sicut judex de crimen occulto quod vidit, non potest judicare reum, per hoc quod reus dat ei licentiam ut judicet eum secundum quod scit vel vidit; ergo a simili in proposito.

Secundo. Quia in lege naturæ solus auctor (*e*) ejus potest dispensare; sicut de pluralitate uxorum. Sed de lege naturæ est celare crimen. Ergo, etc.

Tertio. Quia non minus debet celare quod audivit in confessione, quam si vidisset occultum. Sed tunc non posset licentiare de dicendo: quia, sicut non potest mihi dare licentiam ut occidam eum, sic nec quod dissamem eum.

Quarto. Quia tenetur obediens prælato in licitis et honestis. Si ergo, de licentia consitentis, licet sibi revelare, ergo tunc tenetur prælato præcipienti revelare obediens; quod falsum est.

Quinto. Quia sicut quod pertinet ad forum exteriorem, de nullius licentia potest pertinere ad forum conscientiae, sic scilicet quod (*y*) de licentia Papæ, ex his quæ dixi tibi in foro exteriori, possis me absolvere in pœnitentia, nisi iterum dicam tibi ut

confessori; sic nec e converso, quæ dicta sunt in hoc foro, de nullius licentia possunt dici in alio foro, nisi aliter dicatur.

Et in hoc secundus articulus terminatur.

ARTICULUS III.

PONUNTUR SOLUTIONES

§ 1. — AD ARGUMENTA CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

Ad argumenta Durandi. — Quantum ad tertium articulum, respondendum est objectionibus supradictis. Et quidem

Ad primum Durandi contra primam conclusionem, negatur minor. Quia celatio peccati a Deo, est effectus principalis, vel pars effectus principalis hujus sacramenti, et non sola circumstantia. Quod patet. Nam remissio peccati et infusio gratiae est effectus principalis hujus sacramenti. Ipsa autem peccati remissio est ejus tactio et occultatio; similiiter charitas legit peccata, vel formaliter, vel effective. Et sic tactio peccati est effectus hujus sacramenti. De prædictis Glossa, super primo versu Psalmi 31, sic dicit: *Si enim Deus texit peccata, noluit advertere; si noluit advertere, noluit animadvertere, id est, punire; noluit agnoscere, sed ignoroscere. Non ergo dixit peccata tecta, tanquam ibi sint, et vivant; sed ita deleta, ut Deus non videat, id est, puniat aeternaliter.* Videre enim Dei est peccata punire. Unde alibi (Psalm. 50) dicit: « Averte faciem tuam a peccatis meis. » Et dicitur hoc a simili. Ita enim teguntur peccata in baptismō, sicut Ægyptii insequentes Israëlitæ tacti sunt in mari rubro, etc. — Hæc Glossa. — Ex quibus patet quod occultatio et tactio peccatorum per Deum non aliud est quam peccatorum deletio, remissio et abolitio. Constat autem quod hoc est pars effectus principalis sacramenti pœnitentie, et non sola circumstantia. Ad hoc facit quod legitur, Proverb. cap. 10 (v. 12): *Universa delicta operit charitas.* Cujus simile habetur, Jacobi capit. 5 (v. 20): *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Cum ergo effectus hujus sacramenti sit gratiae et charitatis infusio, et effectus charitatis sit peccatorum operatio, vel occultatio, aut tactio, consequens est quod occultatio peccatorum sit effectus hujus sacramenti, mediatus vel immediatus.

Ad secundum patet responsio per prædicta. Quia Christus celat et occultat peccata vere consitentium, tam in præsenti saeculo, quam in futuro. In præsenti quidem, per deletionem maculae et offendæ ac reatus pœnæ; in futuro vero saeculo, celat ea, quia

(a) Hæc argumenta repertis apud Petrum de Palude, dist. 21, q. 3.

(b) *auctor*, — *actor* Pr.

(y) *quod*, — *quasi* Pr.

nullus (α) ea videbit ad confusionem peccantis consentientis. De hoc sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 43, q. 1, art. 5, q^{ta} 2, in solutione tertii argumenti, sic dicit: « Publicatio peccatorum ad ignominiam peccantis, est effectus negligentiae quae committitur in omissione confessionis. Sed quod peccata sanctorum revelentur, non poterit eis esse in erubescientiam vel verecundiam, sicut nec Mariæ Magdalena est in confusione quod peccata sua publice in Ecclesia recitantur: quia verecundia est timor ingloriationis, ut dicit Damascenus (*de Fid. Orth.*, lib. 2, cap. 45); qui in beatis esse non poterit. Sed talis publicatio erit eis ad magnam gloriam, propter pœnitentiam quam fecerunt, sicut confessor laudat eum qui magna scelera fortiter confitetur. Dicuntur autem peccata esse tecta vel deleta, quia Deus non videt ea ad puniendum. » — Hæc ille.

Dicitur secundo, quod falsum dicit arguens, in hoc quod dicit nullum doctorem dixisse quod sacramenta non significent illud quod seculo futuro agitur. Hujus enim falsitas patet multipliciter. Tum quia sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 1, q. 1, art. 1, q^{ta} 1, in solutione quarti, sic dicit: « Sacramenta novæ legis tria significant: scilicet causam primam sanctificantem, sicut baptismus mortem Christi; et quantum ad hoc sunt signa rememorativa. Item, significant effectum sanctificationis quem faciunt; et hæc significatio est eis principalis; et sic sunt signa demonstrativa. Nec obstat si quis sanctitatem non recipit: quia non est ex defectu sacramenti, quod, quantum est in se, natum est gratiam conferre. Item, significant finem sanctificationis, scilicet æternam gloriam; et quantum ad hoc sunt signa pronosticata. » — Hæc ille. — Simile dicit, 3 p., q. 60, art. 3. Tum etiam quia sacramentum Eucharistiae significant fruptionem beatificam, secundum quod ostendit sanctus Thomas, 3 p., q. 73, art. 4. Tum quia sacramentum matrimonii significant conjunctionem Christi et Ecclesiae per gloriam, non solum per gratiam, ut communiter dicunt Doctores, super 4. *Sentent.*, dist. 26.

Ad tertium patet responsio per prædicta.

§ 2. — AD ARGUMENTA CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

Ad argumenta quorumdam. — Ad primum contra secundam conclusionem, respondet Petrus de Palude (dist. 24, q. 3), dicens: « Peccata consentientis, in relatione ad ipsum, cadunt sub sigillo confessionis de necessitate et absolute, primo, directe, et explicite, et ex omnibus causis. Persona autem cum qua pœnitens confitetur se peccasse, cadit quidem (β) de necessitate et absolute, non primo,

sed ex consequenti, indirecte, et implicite, et non ex omnibus causis, sed ex aliquibus. Peccata autem ipsius pœnitentis, non referendo ea ad determinatam personam (sicut cum aliquis dicit: *Ego audivi tale quid*, quod tamen non audivit nisi in confessione), cadunt sub sigillo de necessitate; non tamen absolute, sed sub conditione, scilicet si ex prolatione talium verborum posset per se vel per accidens, directe (α) vel indirecte, aliqua verecundia, vel confusio, vel suspicio mala generari (β), vel aliud documentum consitenti provenire. Ea autem quæ pœnitens interserit in confessione, quæ non sunt peccata, nec circumstantiae, nec potentia deducere in manifestationem consitentis (ut quod in tali terra sunt bona blada, vel hujusmodi), non cadunt sub sigillo, nisi de congruitate, si in dicendo illa non det intelligere confessori quod velit ea celari. Unde confessor dicens se audisse ea, mendax non est; quia per comparationem ad ea non representat personam Dei, sed hominis. » — Hæc Petrus. — Quod autem tertia persona cum qua confitetur se peccasse, cadat sub sigillo, probat: « Quia, sicut ex parte confessoris tam principalis quam accessorius tenetur confessionem celare, ut sacerdos et interpres; sic ex parte consitentis debet celari et principalis, id est, pœnitens, et accessorius, id est, cum quo dicit se peccasse, sive consitens bene faciat dicendo, sive non. Cum enim sigillum sit annexum sacramentali confessioni, illa directe sunt celanda, quæ sunt directe materia sacramenti. Hujusmodi autem sunt peccata, et circumstantiae ejus quæ sunt de necessitate vel bonitate confessionis. Hujusmodi autem est tertia persona. » — Ideo ad formam primi argumenti, dicitur, negando minorem: quia, licet solum peccatum, vel peccati circumstantia, necessario cadat sub sigillo peccati primo et directe et explicite et ex omnibus causis; tamen tertia persona cadit sub sigillo ex consequenti, indirecte, implicite, etc., ut dictum est.

Ad secundum, negatur major, ut patet ex dictis.

Ad tertium, negatur similitudo, ut patet ex dictis.

Ad quartum respondet Petrus (*ibid.*), dicens quod « illa non est tota ratio celationis: quia, si constaret confessori quod consitens non pœnitenteret, et ex consequenti quod Deus non indulgeret, tamen tenetur celare ». — Hæc Petrus, et bene, concorditer sancto Thomæ, præsenti distinctione, q. 3, art. 1, q^{ta} 1, in solutione primi, ubi sic dicit: « Quidam dicunt quod sacerdos non tenetur celare vel servare sub sigillo confessionis nisi peccata de quibus consitens emendationem promittit; alias potest ea dicere ei qui potest prodesse, et non obesse. Sed hæc opinio errorea videtur, cum sit

(α) nullus. — nullius Pr.

(β) quidem. — quantum est Pr.

(α) directe. — Om. Pr.

(β) mala generari. — malignari Pr.

contra veritatem sacramenti. Sieut enim baptismus est sacramentum, quamvis aliquis fietus accedit; nec est mutandum propter hoc aliquid de essentialibus sacramenti; ita confessio non desinit esse sacramentalis, quamvis ille qui confitetur, emendationem non proponat. Et ideo nihilominus sub occulto tenendum est. » — Hæc ille.

Ad quintum, negatur major, nisi intelligatur de his quæ cadunt sub sigillo primo et directe et explicite. Si autem major ita intelligatur, minor non bene subsumitur sub majori. Ideo conclusio non sequitur.

Ad sextum respondet Petrus (ibid.), quod « confessio proprie non est nisi de peccatis. Et ideo, si confessor dicit sibi aliquem confessum de peccatis suis, nihil ponit in palam quod esset occultum; maxime quia, si dicerimus quod peccatum non habemus, etc. (1 Joan. 1, v. 8). Sed si diceret aliquem esse sibi confessum de magnis et multis peccatis, esset revelator confessionis. Ideo, etc. ».

Ad septimum dicit Petrus (ibid.), quod « minor est falsa, quando per locutionem de peccatis confessis potest deveniri per se vel per accidentem, directe vel indirecte, per quemcumque modum, in aliquam cognitionem, vel suspicionem, vel opinionem, vel dubitationem de confesso; vel inquantum per hoc potest sibi venire detrimentum in anima, vel corpore, vel possessione, vel fama, vel amicis; vel inquantum per hoc potest in populo scandalum generari, vel confessio magis odiosa, vel minus dilecta, vel magis onerosa, vel minus pretiosa reputari. Raro autem vel nunquam potest contingere quin ex revelatione peccatorum in confessione auditorum, per viam aliam non scitorum, possit contingere aliquod de predictis inconvenientibus; quamvis forte quandoque nullum contingat. Unde multum haberet cavere quod non dicat, vel quomodo dicat. » — Hæc Petrus, et bene.

Ad octavum, negatur consequentia. Nec valet probatio. Quia aut accusans in confessione tertiam personam, dat confessori licentiam illud revelandi; aut non. Si sic, tunc idem est ac si confessor illud sciret ut homo; et eodem modo potest procedere circa tertiam personam accusatam, sicut in correctione fraterna. Si non, tunc confessor non tenetur aliquo modo corrigere, nec aliud remedium adhibere. De hoc, in simili, sanctus Thomas, praesenti distinctione, q. 3, art. 1, q^{la} 1, in solutione primi, post verba superius recitata in solutione quarti, sic subdit: « Nec tamen sigillum confessionis contra charitatem militat. Quia charitas non requirit quod apponatur remedium peccato quod homo nescit. Illud autem quod sub confessione scitur, est quasi nescitum, cum nesciat ut homo, sed ut Deus. Tamen aliquod remedium adhibere debet in predictis casibus, quantum potest, sine revelatione confessionis; sicut monendo eos qui confitentur, et aliis diligenter

diam apponendo, ne corrumpantur per hæresim. Potest etiam dicere prælato, quod diligentius invigilat circa gregem suum; ita tamen quod non dicat aliquid per quod verbo aut nutu confitentem prodat. » — Hæc ille. — Et loquitur de casu quo aliquis in confessione scit aliquem hæreticum, quem non potest ad hoc inducere quod desistat a corruptione plebis. Et similiter de illo qui scit per confessionem affinitatem esse inter aliquos qui contrahere volunt. Sic dico in casu argumenti nostri.

Confirmantur omnia dicta de celatione tertiae personæ ex dictis Petri. « Quia, cum poenitentia sit sacramentum, sacerdos tenetur celare omne illud sibi dictum in confessione, quo confitens prodi posset, et mala suspicio generari; sic autem est in proposito, de tercia persona, cum qua poenitens confitetur se peccasse. Secundo, quia hoc retraheret homines a confessione: non tantum enim homo timet laesionem famæ propriæ, sed etiam personæ vinculo amicitiae sibi conjunctæ. »

§ 3. — AD ARGUMENTA CONTRA TERTIAM CONCLUSIONEM

Ad argumenta quorumdam. — **Ad primum** contra tertiam conclusionem, respondet Petrus (dist. 21, q. 3), quod « illa responsio quæ ibidem recitatur, que est Durandi, satis bona est. Et potest sic sustineri: quia, sicut leve potest prohiberi ne actu feratur sursum, etiam manente levitate, sed non potest prohiberi ne aptitudine feratur sursum, cum haec sit natura ejus, nisi natura ejus mutetur; sic, cum haec sit natura confessionis, quod obliget confessorem ad secretum, potest quidem de facto revelare, manente natura confessionis, sed non potest non teneri ad celandum, nisi natura confessionis mutetur, quam solus Deus mutare potest. Et quod dicitur de satisfactione, non valet: quia non consequitur per se naturam confessionis, sed mediante precepto hominis qui injungit. Unde in poena taxata in judicio Dei, Papa non potest dispensare ne solvatur, licet possit dispensare unde solvit; sed in taxata ab homine, sic, et ipse qui dedit, vel superior; sicut Papa potest dispensare cum ordinato in sacris, quod contrahat matrimonium, quia castitas non est annexa ordini sacro ex natura sacramenti, sed ex statuto humano. » — Hæc Petrus, et bene.

Ad secundum dicit (ibid.) quod « natura sacerdotii non est quod teneatur celebrare, sed quod possit celebrare. Et hanc potestatem Papa non potest sibi auferre, quia nihil aliud est sacerdotium quam potestas celebrandi. Quod autem teneatur celebrare, non est ex natura sacramenti, ut sacramentum est, sed ex generali ratione, qua non debet in vanum recipere gratiam Dei. Clarius tamen est ratio quam sanctus Thomas tangit: quia scilicet ita est de præ-

cepto divino confessionem celare, sicut facere; unde, sicut Papa non potest dispensare in secundo, ita nec in primo. » — Hæc Petrus, et bene, conformiter dictis sancti Thomæ in probatione recitatis.

Ad tertium dicitur quod celatio vel occultatio confessionis dicitur esse de natura sacramenti poenitentiae, triplici ratione. Prima est: quia est pars formalis, non positiva, sed negativa, vel privativa, ipsius sacramenti poenitentiae, sicut absolutio confessoris dicitur pars formalis positiva ejusdem sacramenti; et sicut absolutio significat remissionem peccati interiore et ejus deletionem in relatione ad hominem, sic celatio confessoris significat eamdem remissionem et obligationem in relatione ad Deum. Secunda est: quia, si talis celatio non esset pars sacramenti inquantum est causa remissionis peccati, est tamen pars ejus inquantum est perfectum signum abolitionis reatus ex parte hominis, et offensæ ex parte Dei. Tertia est: quia, etsi talis celatio nullo modo posset dici pars sacramenti, tamen obligatio ad talem celationem est propria passio consequens ipsum sacramentum in ministro sacramenti, qui, ex hoc ipso quod tale sacramentum ministrat, obligatur ad hujusmodi celationem.

Et ad hoc concordat Petrus dicens (*ibid.*): « Quod Thomas dicit, quod occultatio est de essentia sacramenti, non est sic intelligendum quod sit ejus materia vel forma: cum dicat in solutione secundi argumenti ad primam quæstiunculam (2) quod *præceptum de confessione celanda consequitur ipsum sacramentum*; essentia autem sacramenti non consequitur sacramentum. Sed intelligit quod de essentia, id est, *natura sacramenti*, sit obligatio ad occultationem: sicut diceretur de essentia levis sursum ferri; vel sicut de essentia matrimonii est reddere debitum, id est, obligatio ad hoc ipsum. In qua non potest Papa dispensare. Quamvis enim in præceptis divinis Papa aliquando dispensem, sicut in votis, quorum redditio est de jure divino; non sic tamen in præceptis sacramentalibus, quia non potest dispensare quin homo debeat baptizari et confiteri. Non ergo licet, etiam (6) propter superioris obedientiam vel præceptum: quia nemo tenetur obediens alicui in illo in quo est illi superior; sicut autem delegatus a Papa est major ordinario in causa sibi commissa (unde in illo non tenetur sibi obediens), sic sacerdos, in hoc quod audit confessionem, est vicarius Christi, ratione characteris; ideo, etc. » — Hæc Petrus, et bene.

Verumtamen quod dicit, præceptum de occultatione confessionis consequi ad ipsum sacramentum, non legi in *Scripto sancti Thomæ*. Et, dato quod ita dicat, intelligi potest de consequentia logicali, sicut animal sequitur ad hominem; non autem de

consequentia physica vel metaphysica, qua totum sequitur ad partem, et accidens ad subjectum.

Ad aliud autem quod in argumento insertur, scilicet quod sine tali celatione est perfectum sacramentum; — dicitur quod non est perfectum in genere signi, ut dictum est, licet posset dici perfectum in genere cause, vel perfectione primaria, non autem secundaria. Et multis aliis modis potest ad hoc dici.

§ 4. — AD ARGUMENTUM CONTRA QUARTAM CONCLUSIONEM

I. Ad argumenta Durandi. — Ad primum contra quartam conclusionem, dicitur, negando minorem. Per hoc enim quod confitens dat confessori licentiam revelandi peccata prius sibi confessa, dat sibi novam notitiam de peccatis, et si non notitiam *quid sunt*, saltem notitiam *quia sunt*, aut si *sunt*, aut *propter quid sunt*. Cognoscit enim noviter peccata illa, quantum ad aliquam eorum conditionem: puta quod se sit ea ut homo, non solum ut Deus; et quod sunt in potestate ejus non solum ut materia absolutionis, sed etiam ut materia consilii et collationis cum alio, et salutiferæ inquisitionis apud superiorem vel doctiorem se. Et sic novo modo cognoscit ea; quia novo modo sunt in potestate sua, et ipse hoc se sit noviter.

Verumtamen Petrus ad hoc argumentum sicsdicit (*dist. 21, q. 3*): « Sicut illud quod ego tradidi tibi ut depositum, sine nova receptione et traditione possum facere quod habeas illud ut donum vel mutuum, dicendo: *Quod habeas ut depositum, habeas ut mutuum vel donum* (quod etiam videtur facere, dando tibi licentiam utendi ad voluntatem tuam; hoc enim faciendo, jam quasi volo (2) quod illud quod prius habebatur ut depositum, amplius non habeat ut depositum), et qui prius alienando furtum committebas, sic utens deposito nunc licite uteris, quamvis lex depositi sit de jure divino, quia est in favorem deponentis, cui potest renuntiare, et sicut a principio poterat credere ut depositum vel ut donum, sic ex post facto potest mutare propositum; ita etiam dicendum est in proposito, quod, sicut confitens potuit illud dicere per modum simplicis narrationis ut homini, quod dixit ut Deo, sic postea potest facere quod illud quod erat dictum ut Deo, habeat ut homo, *Sine hoc quod iterum sibi dicat, ex hoc solum quid dicit: Jam non habeas illud ut dictum in confessione; sed ut dictum simpliciter, et in foro exteriori*; licet Papa hoc non possit, quia in ejus favorem non statuit Deus, sed consistentis. Et si dicat, *Do tibi licentiam dicendi ad libitum*, hoc est dicere, in effectu, quod habeas hoc ut homo. Unde, etsi non possit licentiare per modum dispen-

(2) *quæstiunculam.* — *quæstiunculam* Pr.

(6) *etiam.* — Om. Pr.

(2) *jam quasi volo.* — *videtur* Pr.

santis et directe, potest tamen indirecte, per hoc quod ex nunc incipit illud habere commissum ut homo, et non ut Deus. Et sic mutatur titulus sciendi, sicut titulus habendi. Ideo non est fractio sigilli, sicut, in exemplo prius adducto, non est fractio depositi. Si ergo dicatur: *Papa non potest licentiare; ergo nec iste*, — non est simile: quia hoc non est in favorem Papæ, sed consitentis; vel quia Papa non potest facere quod sciat ut homo: sicut Papa non posset dicere habenti alienum depositum, *Habeas illud ut mutuum vel donum*, quia non est suum, et mutuum dicitur quasi de meo fit tuum, et dare est accipientis facere; hoc autem potest facere deponens, qui est dominus. — Et si dicatur quod celatio confessionis est de jure divino; si ergo non valet licentia Papæ nec totius militantis Ecclesiæ, multo minus licentia private personæ valet; — dicendum quod immo, quando est in favorem concedentis. Potest enim vir licentiare uxorem ad vovendum castitatem, et ex tunc non tenetur ei debitum reddere; quia, licet de jure divino conjux teneatur reddere debitum petenti, tamen quia est in favorem petentis, ille contra hoc potest licentiare; quod Papa non potest. Unde quando interdictum illis qui contra interdictum Ecclesiæ contrahunt, ne simul cohabitent, intelligitur petendo debitum, non reddendo. — Item, cum dicitur quod confessor non potest hoc dicere, nisi alio modo sciat, etc.; — dicendum quod alio modo scire contingit dupliciter. Uno modo, quia hoc sciat per aliam scientiam secundum rem; et sic potest facere alius a considente quod ille aliter sciat. Alio modo, quod aliter sciat secundum modum sciendi; et quod secretum habeat non ut secretum; et hoc solum potest facere ille qui commisit, sine hoc quod illud iterum sibi replicet; et similiter quod illud quod usque nunc habuit ut Deus, amodo habeat ut homo. Et uterque modus sufficit ad hoc quod liceat dicere. Sicut enim sigillum confessionis est de jure divino, sic sigillum secreti; quia revelare arcana est contra Sacram Scripturam. Sicut ergo nullus potest facere, ad minus privatus, quod aliquis licite revelet alterius secretum, quamdiu se sit illud ut secretum, sed hoc potest facere ille qui commisit tale secretum, dicens, *Ex tunc non habeas sub secreto*, et, eo ipso quod licentiat eum ad dicendum, videtur dicere quod non plus habeatur ut secretum, nec plus reputatur revelator secreti si dicit; sic, in proposito, licet sit majus sigillum confessionis quam secreti. Et si non est hic nova notitia, est tamen novus modus notitiae, qui sufficit. — Hæc Petrus.

Cum predictis concordat beatus Thomas, presenti distinctione, q. 3, art. 2, in solutione primi. Arguit enim sic: « Quod non potest superior, non potest inferior. Sed Papa non posset aliquem licentiare quod peccatum quod se sit in confessione, dicat alteri. Ergo nec ille qui confitetur, potest illum

licentiare. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum quod Papa non potest licentiare eum ut dicat, quia non potest facere quod sciat ut homo; quod potest facere ille qui confitetur. » — Hæc ille. — Item, ibidem, in solutione secundi, sic dicit: « Non ex hoc tollitur illud quod propter commune bonum institutum est; quia sigillum confessionis non frangitur, quia dicitur quod alio modo scitur. » — Hæc ille.

Ad secundum respondet Petrus (ibid.), dicens quod « ex hoc non sequitur aliquod inconveniens: quia, si talis non obtemperet judicii dicenti, *Da sacerdoti licentiam revelandi*, nulla suspicio oritur; quia hoc facere non tenetur, nec testem contra se producere. Unde, in Jure, testis non debet torqueri contra dominum, sed pro domino. Si tamen queritur a domino an velit servum torqueri, si dicat *Nolo*, non propter hoc est suspicio contra eum de delicto: quia alia de causa potest hoc nolle quam quia sibi conscientis. Et similiter est in proposito: quia non vult quod ille de confessione loquatur, propter scandalum forte. Si autem det illi licentiam, non propter hoc paratur sibi prejudicium, si imponat sibi falsum: quia poterit dicere, *Dedi sibi licentiam dicendi quod sibi dixi, sed hoc non dixi sibi*; et unus testis non probat; nisi vellet stare dicto ejus. Nec tunc etiam sacerdos tenetur dicere, licet possit. Item, quia ex audientia confessionis confessor est obligatus ad medendum illi; ideo licentia consitentis non dat ei quod possit hoc revelare, nisi ad bonum consitentis, et non aliter ». — Hæc Petrus, et bene. — Et hoc concedit sanctus Thomas, in simili. Arguit enim sic, ubi supra (dist. 21, q. 3, art. 2, arg. 3): « Si posset sacerdos licentiari, videretur dari pallium malitiæ malis sacerdotibus: quia possent pretendere sibi datum esse licentiam, et sic impune peccarent. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod ex hoc non datur aliqua impunitas malis sacerdotibus: quia imminet eis probatio, si accusantur, quod de licentia consitentis revelaverint. » — Hæc ille. — Ita dico in proposito: in casu quo confessor falsum imponeret consitenti, imminet ei probatio quod illa in confessione audierit.

II. Ad argumenta aliorum. — Ad primum aliorum respondet Petrus (dist. 21, q. 3), dicens quod « non valet similitudo. Quia non licet judicare ex his quæ videntur ut privatus, nisi videat ut *judex*, sive sit obligatus ad secretum, sive non. Sed ad hoc quod homo loquatur de aliquo, sufficit quod illud habeat ut homo; nec eportet quod illud habeat ut homo *judex*. Licentia autem loquendi facit quod habeat ut homo, non autem quod habeat ut *judex* ». — Hæc ille.

Ad secundum dicit (ibid.) quod (a) « regula Juris

(a) *quod*. — *quia Pr.*

est quod unicuique licet renuntiare his quae pro se introducta sunt. Vel dicendum quod lex naturae est quod tamdiu celet, quamdiu habet ut Deus; sicut dictum est de deposito vel de matrimonio (2). »

Ad tertium dicit (ibid.) quod « minor vera est, in casu in quo non licet illi prodere seipsum, nec licet per alium. Sed ubi agitur ad ejus bonum (puta quod diceret illi qui posset prudesse, vel absolvendo, vel consulendo, ubi nominata persona hoc melius ficeret), tunc secus est (3) ». —

Ad quartum dicit Petrus (ibid.) quod « argumentum solvit seipsum. Quia non tenetur aliquis obediens prælato in omnibus lictis, puta in levando festucam, sed in illis in quibus prælatus est; quod non est in occultis. Sed si puniretur peccatum alias pertinens ad cognitionem judicis, forte per infamiam juris, utrum (γ) tunc ille teneretur, quia tunc ipse mett confitens teneretur dicere veritatem? Dico quod non deberet dicere, sed peccaret, nec per consequens teneretur: quia fori non sunt miscendi. Non enim ex confessione facta coram judice laico damnatur quis coram ecclesiastico. Sed multo minus hic non tenetur testificari, quando ex suo testimonio nihil potest judicari, etiam cum alio testimonio ». —

— Hæc ille, et bene, concorditer sancto Thomæ, primo *Quodlibeto*, art. 15, ubi querit: Utrum religiosus teneatur secretum fidei sua commissum revelare prælato præcipienti. Dicit enim quod secretum auditum in confessione nullo modo debet revelare prælato præcipienti. Simile dicit, quarto *Quodlibeto*, art. 12, ubi querit: Utrum subditus teneatur obediens prælato præcipienti revelationem criminis occulti. Ibi enim dicit quod peccatum, si sit simpliciter occultum, ita quod nullo modo provenit ad notitiam multorum, non est revelandum prælato præcipienti.

Ad quinquaginta dicit Petrus (ibid.), quod « argumentum verum concludit, quod ea quæ dicta sunt in foro conscientiae, de nullius licentia possunt dici in alio foro, nisi aliter dicantur, ut ex hoc feratur sententia; sed aliter sic, ut dictum est (4). — Hæc Petrus, et bene.

Ad argumentum contra questionem (5), respondeat sanctus Thomas, præsenti distinctione, q. 3, art. 1, q^{ta} 1, in solutione tertii, dicens: « Homo non adducitur in testimonium nisi ut homo; et ideo absque læsione conscientiae potest jurare se nescire quod scit tantum ut Deus. » — Hæc ille.

Durandus vero (dist. 21, q. 4) videtur velle quod ista responsio imperfecta est, nisi amplius addatur. Inquit enim sic: « Sciens aliquid solum per confes-

sionem, si inducitur in testem, et cogitur jurare de veritate dicenda, potest sine scrupulo conscientiae dicere se nescire: quia, cum loquatur ut subditus, quia coactus, non tenetur respondere nisi de his quæ scit ut subditus; et quia sacerdos audiens confessionem nulli est subditus, nisi Christo, cuius vicem gerit; ut subditus autem cuicunque alteri, nihil scit de pertinentibus ad confessionem; ideo potest secure se nescire dicere. Si autem non cogitur, sed sponte testificatur, vel in communi locutione dicit se nihil scire, mentitur: quia, licet nesciat ut subditus homini (propter quod excusat, cum cogitur), scit tamen; et ideo negans absolute se scire, mentitur. Quod patet: quia si diceret *Scio*, verum dicere; ergo si dicit *Nescio*, falsum dicit; impossibile est enim quod utraque pars contradictionis sit vera, relata ad idem. » — Hæc Durandus.

Sed contra hoc replicat Petrus (dist. 21, q. 3), dicens: « De teste omnes concedunt quod potest dicere juratus se nescire id quod nescit nisi per confessionem, quia nescit ut subditus, etc.; sicut in Jure est argumentum, scilicet quod veniens in quantum alia persona contra juramentum quod præstítuit ut alia persona, non est perjurus. Nec obstat exceptio rei judicatæ, nisi sit eadem res, eadem personæ, et eadem causa petendi. — Sed contra illud quod singulariter dicunt (scilicet, in communi locutione, non coactum, mentiri si dicat se nescire), est: quia sicut loquendo ut testis coactus, loquitur ut subditus homini tantum, et ideo de his quæ non novit ut subditus, potest dicere *Nescio*, licet aliter sciat, sed illud non debet exprimi, quia jam innuerit se aliter scire; ita quando sponte testificatur, vel in communi locutione loquitur ut homo, et non ut Christi vicarius, potest dicere se nescire; et ideo intelligendum est de his quæ novit ut homo. — Ad id ergo quod dicunt, quod ipse negat se scire absolute, et tamen scit, ergo mentitur, — vera est major, sub hoc sensu, quod qui negat se scire aliquid omni modo, dicens, *Nullo modo sciendi scio illud*, si scit illud aliquo modo, mentitur, et peccat, si juret, si tamen illa negativa sit ita universalis secundum mentem sicut est secundum verba; alias, cum sermo sit subjectus intentioni, et non econtra, quantumcumque verba sint generalia, si loquens intendat se restringere, et audiens similiter debet intelligere, non est mendacium. Et sic est in proposito: quia qui confessionem audivit, non intendit de illis loqui; qui autem eum audit in communi locutione, vel in quacumque depositione, coacta vel spontanea, non debet intelligere de confessione, de qua non licet respondere nec deponere; sermones enim requirendi et recipiendi sunt secundum materiam. — Ad aliud autem quod dicunt, quod si una pars contradictionis est vera, reliqua est falsa; — dicendum quod verum est; sed contradictionis non est nisi unius et ejusdem et secundum idem. Dicitur autem

(2) Cfr. ea quæ in præsenti paragrapho dicta sunt ad primum Durandi.

(3) est. — esset Pr.

(γ) utrum. — Om. Pr.

(5) questionem. — conclusionem Pr.

aliquid scire dupliciter: uno modo, per confessio-
nem, et ut Deus; alio modo, in vulgari, et ut homo.
Caus. 22, q. 5, can. *Hoc videtur* (2), dicitur quis
scire quod audivit, vel vidit, vel alias conscient fuit.
Dicere ergo, *Scio ut homo*, et *Nescio ut homo*,
contradicunt, et altera existente falsa, altera est
vera. Et vera est illa qua dicit, *Nescio ut homo*; et
ista est falsa, *Scio ut homo*, si sic loqui intendat.
Similiter, *Scio ut Deus*, est vera; *Nescio ut Deus*,
est falsa. Unde si dicit, *Non audiui hoc in confes-
sione*, cum audisset, aperte mentiretur. Sed si dicat,
Nescio ut homo, vera est; *Scio ut Deus*, vera est;
nec contradicit. Si ergo dicat simpliciter, *Scio*, si
intendat dicere *ut homo*, mentitur; si autem *ut
Deus*, verum dicit; sed delinquit (6), si per hoc in
notitiam personæ possit deveniri. Vel potest veraci-
ter dicere, *Nescio ut Deus, nec aliter*: quia, pro-
prie loquendo, ipse nescit; quia ignorat utrum ille
confitendo verum dixerit, an non. Unde Bernardus:
*Nihil minus scio, quam quod per confessionem
scio*. Et, pari ratione, videtur quod possit ipsum
purgare quando venit primo ad purgandum, et
postea confessus est ei crimen: quia sicut ubi est
testis coactus jurat quod nescit, et verum est ut
homo; ita et nunc jurat quod credit eum verum
jurasse, et verum est ut homo, quia non ut Deus
purgat eum. Sicut Christus dixit (Joann. 7, v. 8):
Ego autem non ascendam ad diem festum hunc,
et tamen ascendit; nec fuit mendacium, quia verum
fuit in manifesto. Similiter quando dixit (Marc. 43,
v. 32), *De die autem et hora illa nemo scit, nec
Filius hominis*, verum est secundum quod homo,
et per scientiam acquisitam; sed per infusam. » —
Hæc Petrus, et bene.

Verumtamen in dictis ejus et sancti Thomæ et
Durandi simul occurrit dubium: quomodo duas
propositiones singulares de omnino eodem subjecto
et praedicato et copula, solum differentes secundum
affirmationem et negationem, negantur esse contra-
dictoriae propter aliam et aliam intentionem profe-
rentis eas, potissime ubi non intervenit aequivocatio,
nec amphibologia, nec aliud modus multiplicitatis
habens ortum ex incomplexo vel complexo? Cujus-
modi sunt istæ duas, *Ego scio hoc*, *Ego non scio
hoc*. Istæ enim videntur habere omnia requisita ad
contradictionem: quia sunt ad idem, scilicet praedi-
catum; et secundum idem, scilicet de eodem sub-
jecto; et similiter quia ambae sunt de inesse sine
termino modali, et respectu ejusdem temporis;
utraque enim est de presenti; nec aliqua additio fit
ad subjectum vel praedicatum vel copulam unius,
præter negationem, que non fiat ad subjectum vel
praedicatum vel copulam alterius; licet proferens

eas formet duas categoricas in mente de dissimili-
bus subjectis aut praedicatis aut copulis. Et ideo
bene videretur quod illæ mentales non essent con-
tradictoriae, quia non habent omnia requisita ad
contradictionem; secus autem de illis duabus vocali-
bus. Nisi dicatur quod in illis duabus vocalibus est
multiplicitas, propter hoc verbum *scio*, quod in se
continet variam aequivocationem vel notitia-
tem: tum quia potest importare quandoque notitiam
veritatis necessarie; et quandoque notitiam
veritatis contingentis; vel quandoque notitiam cer-
tam, et quandoque notitiam opinativam, vel dubi-
tationem, vel suspicionem; similiter quandoque
notitiam hominis ut homo, quandoque notitiam
hominis ut Dei vicarius est; et multas alias aequivo-
cationes. Talis autem aequivocatio impedit contradic-
tionem propositionum vocalium, dato quod sint de
eodem subjecto, praedicato et copula; potissime quia
in talibus non totum quod affirmatur in una, nega-
tur totum et totaliter in alia, sicut est in proposito.
Ideo utraque talium que videntur contradictoriae,
potest esse vera simul cum alia. Nec obstat si addi-
tiones et restrictiones que sunt in mente, non
exprimantur in voce: quia voces sunt ad placitum,
et proferens vocem potest significare aliquid sibiipsi,
quod non significat nec significare intendit alteri;
unde voces illæ non contradicunt apud dicentem,
etsi apud audiencem contradicant, quia aliud signi-
ficant audienti, et aliud dicenti. *

Sectundum dubium est in dictis Petri, cum dicit
quod confessor potest confidentem purgare, asser-
endo quod credit eum verum jurasse, quia credit
hoc ut homo, etc. Hoc enim non videtur verum.
Quia licet confessor nesciat ut homo peccata con-
fessi, nec quod confessus juret verum vel falsum;
verumtamen ex hoc non sequitur quod confessor ut
homo credit eum verum jurare, nec quod debeat
hoc credere, nec jurare aut asserere quod alius dicat
verum, nec præbere testimonium suæ falsitati. Non
enim ista sunt contradictoria, nec contraria imme-
diata, quorum alterum oporteat esse verum, scilicet,
Nescio ut homo quod iste falsum dicat, vel juret,
et, *Credo ut homo, vel, Scio ut homo quod iste
verum juret*: quia potest contingere casus quod
neutrū scit, et neutrū credit, neutrū opinat-
ur, de neutrō cogitat ut homo. — Quod autem
additur de dictis Christi, verum est; sed non multi-
tum est ad propositum. Quia Deus est auctor (2)
rerum et signorum mentalium, vocalium et scriptori-
um, et aliorum quorumcumque, ideo in potestate
sua est adhibere res, et non solum signa, ad signi-
ficandum, juxta suum beneplacitum; non taliter
vero nec tante est in potestate hominum. Et si ali-
qualiter voces et signa humanitus inventa, sint in
hominum potestate, non tamen in potestate juridica

(2) Caus. 22, q. 5, can. *Hoc videtur*. — 32, q. 4. *Hoc
vere Pr.*

(6) *delinquit*. — *relinquit* Pr.

(2) *auctor*. — *actor* Pr.

ad utendum signis hujusmodi in deceptionem proximi, contra communem usum signorum apud homines.

Utrum autem juramentum obliget secundum intentionem recipientis, non est multum ad propositum necessarium. Sed super hoc dicit sanctus Thomas, 3. *Sentent.*, dist. 39, q. 1, art. 3, in solutione tertiae questiunculae, ubi: « Juramentum, inquit, promissorium obligat hae necessitate ut culpa evitetur. Unde obligat ad omne illud facendum, quo non facto, culpa incurritur. Distinguendum est ergo in eo qui jurat. Aut enim simpliciter, aut dolose jurat. Si jurat dolose, ex duabus partibus potest culpa sequi: scilicet ex fractione sacramenti, et ex dolo. Quamvis ergo ex ipsa ratione juramenti, in quantum juramentum, non obligetur ad servandum ipsum nisi secundum suam intentionem; tamen ex necessitate juramenti, in quantum fuit dolosum, obligatur ad servandum taliter quod ex ejus dolo alias non ledatur; et hoc est quando secundum intentionem recipientis impletum juramentum. Si autem simpliciter juret, absque omnī dolo, tunc in foro conscientie non obligatur nisi secundum suam intentionem; sed in foro contentioso, ubi intentio ignoratur, obligatur secundum quod verba communiter accipi solent. » — Haec ille. — Simile dicit, 2^a 2^e, q. 89, art. 7, in solutione quarti: « Dicendum, inquit, quod quando non est eadem intentio jurantis et ejus cui jurat, si hoc provenit ex dolo jurantis, debet juramentum servari secundum sanum intellectum ejus cui juratur. Si autem jurans dolum non adhibeat, obligatur secundum intentionem jurantis. » — Haec ille.

Et haec de questione sufficient. De qua benedictus Deus. Amen.

DISTINCTIO XXII.

QUÆSTIO I.

UTRUM PÆNITENTIA INTERIOR SIT RES SACRAMENTI PÆNITENTIÆ

QUÆSTIONE vigesimamsecundam distinctionem 4. *Sententiarum* queritur primo: Utrum pœnitentia interior sit res sacramenti pœnitentia.

Et arguitur quod non. Quia res sacramenti nūquam est causa sacramentalis signi, sed e converso quandoque. Sed pœnitentia interior est causa exterioris. Ergo non est res ejus.

In oppositum arguitur. Quia illud quod immediate causat effectum sacramenti, est res exterioris sacramenti, sicut patet de charactere. Sed pœnitentia interior est que immediate causat remissionem peccatorum, que est ultima res sacramenti hujus. Ergo, etc.

In hac questione erunt tres articuli: In primo ponentur conclusiones. In secundo, objections. In tertio, solutions.

ARTICULUS I.

PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

Prima conclusio: Quod in sacramento pœnitentiae, sacramentale signum est exterior pœnitentia, ita quod est sacramentum et non res sacramenti.

Hanc ponit sanctus Thomas, presenti distinctione, q. 2, art. 1, in solutione primæ questiunculae, ubi sic dicit: « In quolibet sacramento fit quadam promotio vel motus suscipientis ad aliquam sanctitatem. In motibus autem corporalibus, quandoque illud quod movetur, non cooperatur ad motum, nisi recipiendo impressionem agentis tantum: sicut contingit in generatione, qua aliquid accipit primam perfectionem sui esse, que est etiam primum principium activum in ipso; similiter etiam quando acquirit aliquam perfectionem superadditam, que limites sue formæ exceedit, sicut cum paries depingitur, vel cum aer illuminatur. Quandoque autem perfectio prius suscepta, est sufficiens principium illius motus; et tunc operatur motus illum; sicut patet in motu locali naturali, et in sanatione quæ fit virtute naturæ tantum. Quandoque autem perfectio habita non sufficit ad operandum effectum, sed cooperatur agenti exteriori; sicut patet cum ars naturam adjuvat. Et secundum hos tres modos etiam est motus ad sanctitatem. Unde in baptismo, qui est spiritualis vitæ regeneratio, tota sanctificatio est ex exteriori; nec suscipiens sacramentum se habet active ad illam sanctificationem, sed tantum ut recipiens; unde signum sacramentale ibi est materia exterius apposita, non autem aliquis actus ex parte baptizati. Et similiter est in confirmatione, Eucharistia, extrema unctione, et ordine, quæ ordinantur ad aliquam sanctitatem superadditam primæ sanctitati in baptismo susceptam; unde, etiam conservata gratia baptismali, illa locum haberent. Sed in promotione ad sanctitatem per viam merendi, sufficit principium quod intus habetur, scilicet gratia. Et ideo, sine aliquo exteriori